



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Benedictus XIII. Dictus Petrus De Luna Anti-Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)



ANNO  
1419.

Divini noscuntur respicere cultus incrementum. Cum itaque sicut Venerabilis frater noster Joannes Episcopus Hostiensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, nobis exponere curavit ipse qui pro hujusmodi augmento cultus, nec non sua & progenitorum suorum animarum salute, de bonis sibi desuper creditis capellam Beatæ Mariæ contiguam Ecclesiæ Gebenensî de novo fundavit construique, & ædificare fecit, nec non pro Archipresbytero tamquam Capite qui Archipresbyteratum, ac duodecim Capellanis quorum singuli Capellanas singulas inibi pro tempore obtinerent notabiliter dotavit desiderio, & intentione gessit, ac hujusmodi fundationi & dotationi adiecit quod quotiescumque ex dictis Archipresbytero, & Capellanis sedere, vel decedere contingeret illius loco reliqui eorum alium idoneum eligere haberent per Episcopum prædictum quoad viveret & eo sublato de medio per dictos filios Capitulum Gebenense ibidem instituendum dubitaretque dictus Episcopus occasione præsertim expectatarum personarum aliquibus à sede Apostolica vel legatis ejus inibi concessarum pro tempore gratiarum per quas persone ipsæ dictos Archipresbyteratum & Capellanas sibi vendicare concederent desiderium intentionem nec non adjectionem intercipi & adimi ac propter cultum hujusmodi divinum posse quomodolibet in futurum pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro hujusmodi desiderii, & intentionis complemento super his opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui prædicti augmentum cultus studiis exquirimus indefessis hujusmodi supplicationi inclinati volumus, & auctoritate Apostolica statuimus, ac ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus nullus vigore sive prætextu quarumcumque litterarum sedis vel legatorum hujusmodi sub quavis verborum forma, vel expressione super expectativis gratis concessarum hætenus vel in posterum concedendarum sive desuper pro tempore habitorum processuum eundem Archipresbyteratum vel aliquem ex dictis Capellanis quotiescumque, & qualitercumque in antea vacaverit acceptare, seu de eo vel illa sibi provideri facere valeant quoquomodo, sed juxta desiderium intentionem, & adjectionem hujusmodi quotiescumque, dictos Archipresbyteratum & Capellanas simul vel successivè per se ipsum aut decessum eas obtinentium pro tempore vacare contigerit illi ex dictis Archipresbytero & Capellanis qui inibi tunc fuerint ad vacantem tunc Archipresbyteratum in Archipresbyterum, & quemlibet Capellanorum in Capellanum Capellæ hujusmodi personam idoneam eligere & Episcopus quoad vixerit ipsoque rebus humanis exempto Capitulum præfati postquam electio hujusmodi persona præsentata eis fuerit personam præfatum in Archipresbyteratu vel ea ex Capellanis prædictis, ad quem vel quam, ipsa persona ut præmittitur electa fuerit instituire liberè liciteque possint, per inde in omnibus, & per omnia, ac si gratiæ prædictæ vel Apostolicæ de super reservationes minime forent decernentes, omnes, & singulos processus quos fieri, vel haberi, nec non excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliasque sententias, censuras & pœnas quas promulgari, nec non totum id & quidquid attentari contigerit à quocumque scienter vel ignoranter quavis auctoritate, contra voluntatem statutum, & ordinationem hujusmodi nullius existere firmitatis, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus Ecclesiæ prædictæ juramento confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam no-

stræ voluntatis, statuti ordinationis, & constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos octavo Kalendas Aprilis. Pontificat. nostri anno octavo.

## BENEDICTUS XIII.

Dictus PETRUS de LUNA Anti-Papa.

Confirmatio fundationis, & dotationis Capellæ Collegiæ juxta Ecclesiam Genevensi, à Cardinali Joanne Alarmet de Brognaco Episc. Hostiensis erectæ, quam etiam confirmavit MARTINUS V. ut ex Bulla superiori.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Viennensi & Episcopo Avenionensi ac dilecto Filio Præposito Ecclesiæ sancti Andrea Gracianopolitani salutem & Apostolicam Benedictionem.

His ex commisso nobis officio, quæ pro statu prospero Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, & divini cultus augmento providè facta sunt, ut illibata consistant libenter adjicimus Apostolici muniminis firmitatem; exposuit siquidem nobis Venerabilis frater noster Johannes Episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, quod nuper ipse zelo devotionis accensus ac cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare de bonis à Deo sibi collatis, quandam capellam in civitate Gebenensi juxta Ecclesiam Cathedralē fundari fecit, & in ea tredecim Presbyteros perpetuos, quorum unus Archipresbyter existeret & per quos tres missæ quolibet die una videretur cum nota & aliæ duæ sine nota celebrarentur, nec non tredecim anniversaria generalia annuatim, & alia divina officia in dicta Capellâ fierent & nonnulla alia statuta circa regimen & servitium dictæ Capellæ ordinavit & pro dote dictæ Capellæ quinque millia florenorum auri dedit, pro quibus omnia bona sua obligavit, & nihilominus in augmentum dotis ipsius omnia bona sua præsentia & futura donatione causâ mortis eidem Capellæ reliquit & donavit prout in instrumento publico inde confecto, cujus tenor inferius est insertus & plenius continetur. Quare prædictus Episcopus nobis humiliter supplicavit ut fundationi, donationi, dotationi ordinationibus & aliis in dicto instrumento contentis robor confirmationis adjiceret, ac defectus si qui forsitan intervenirent in eisdem supplere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, fundationem, dotationem, donationem, & ordinationes prædictas, & alia omnia & singula in dicto instrumento contenta rata habentes & grata illa ex certa scientia auctoritate Apostolica confirmavimus, & scripti nostri patrocinio communivimus suppletentes omnes defectus si qui forsitan intervenissent in eisdem; tenor verò dicti instrumenti talis est.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, gloriosissimæque Virginis Mariæ matris ejus ac totius curiæ civium superiorum. Amen.

Noverint universi & singuli præsentis patris & futuri hoc præfens publicum instrumentum visuri, lecturi, & etiam audituri, quod anno à Nativitate Domini millesimo quadragintesimo sexto indictione quartâ decimâ, die verò vigesima tertiâ mensis Martii Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Benedicti Divinâ Providentiâ Papæ decimi tertii, Anno duodecimo in præsentia ac testimonio nostrorum notariorum & testium infra scriptorum existens & personaliter constitutus Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Johannes misericordie divinâ Episco-

ANNO  
1419.III.  
Ex Archiv.  
Cap. Genev.



ANN O  
1379.

pus Hostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Vicecancellarius olim Vivariensis vulgariter nuncupatus scienter sponte & ex eius certâ scientiâ fundavit instituit & dotavit in Capellâ novâ quam à fundamentis construi & ædificari nuper fecit juxta Ecclesiam Gebenensem contiguâ, secus introitum & frontem ipsius Ecclesiæ Gebenensis ex parte dextra Capellam suam Collegiaram in modum & formam subsequenter. In nomine Domini. Amen.

Quoniam quæ sine Ordine aguntur solent neglectum & confusionem inducere & diutius non subsistunt, personas quoque Ecclesiasticas in illius obsequiis qui cuncta quæ creavit sub ordine consistere voluit decet tam devotissimè quàm ordinatissimè permanere. Ea propter nos Johannes de Broniaco Gebenensis Diocesis misericordione divinâ Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Vicecancellarius olim Vivariensis vulgariter nuncupatus, attendentes quod nos nuper constructi & ædificare fecimus in civitate Gebenensi, juxta venerabilem Ecclesiam Gebenensem contiguè secus introitum ipsius Ecclesiæ ad latus dextrum quandam Capellam pro divino servitio in eadem perpetuis temporibus celebrando ad honorem Dei & gloriosissimæ Virginis Mariæ totiusque curiæ civium supernorum & sub nomine seu vocabulo prædictæ Beatæ Mariæ Virginis Matris Dei & Domini Jesu Christi, & quod parum esset ædificia constructisse nisi congruè dotarentur & in ea divina officia perpetuè celebrarentur.

Volentes igitur animabus nostræ parentumque & benefactorum nostrorum prospicere & pro eo dictæ Capellæ fundator, & donator esse, divinarumque officiorum in ipsâ fiendorum particeps & confors effici dictam Capellam ut præmittitur ad honorem & sub vocabulo Beatæ Mariæ Virginis Collegiaram & pro Collegio habentem tredecim Presbyteros in memoriam & honorem Domini nostri Jesu Christi & duodecim Apostolorum ejus, pro divino officio in eadem perpetuis temporibus celebrando fundavimus, instituvimus & dotavimus ipsamque fundando instituendo & dotando & pro ejus fundatione & dotatione de præsentibus damus & concedimus per præsentibus quinque millia florenorum auri de Camera in memoriam & reverentiam quinque plagarum & passionis Redemptoris & Salvatoris humani generis atque nostri pro acquirendis censibus redditibus, possessionibus, & aliis proventibus de quibus divinum servitium valeat in eadem quandiu vitam duxerimus in humanis, fieri & etiam post & perpetuo Deo annuente continuari & augeri per modum & formam inferiorum annotatas, pro quibus quinque millibus florenorum dictæ Capellæ solvendis obligamus & hypothecamus per præsentibus ac obligata & hypothecata esse volumus omnia bona nostra mobilia & immobilia præsentia & futura dictæ Capellæ & Archipresbytero ac Servitoribus ejusdem de quibus mentio infra latius habetur & ut futuris non sit modus Regininis, dictæ Capellæ incognitus quem volumus & desideramus inviolabiliter observari, in eadem ipsum hic duximus describendum, ut nullus prætextu ignorantie contra facere præsumens valeat se excusare; volumus siquidem & ordinamus quod perpetuis temporibus dictæ Capellæ sit Rector unus de Collegio seu gremio & incorporatus dictæ Ecclesiæ Gebenensis, tum tamen Canonicus præbendatus non existat qui dictæ Capellæ intulerit & nominetur Archipresbyter, eo quod duodecim aliis Presbyteris dictæ Capellæ conservitoribus præsidebit, qui quidem Archipresbyter vivens vel moriens teneatur alium Rectorem seu Archipresbyterum unum vel alios de dictis duo-

decim conservitoribus & confortibus suis post se nominare & ipsum Rectorem seu Archipresbyterum ibi successorem post se eligere & ordinare in Consilio & consensu dictorum duodecim conservitorum, vel ad minus sex antiquorum ex ipsis absque alicujus alterius requisitione vel mandato, & casu quo dictus Archipresbyter decederet, vel alias dictam Rectoriam relinqueret non electo aut non nominato ut præmittitur sibi successore in dicto Archipresbyteratu, eo tunc major & sanior pars dictorum servitorum potestatem habeat sibi eligendi Archipresbyterum de dicto Collegio vel de extra quod infra decem dies fiat, alioquin potestas eligendi dictum Archipresbyterum devolvatur ad venerabiles viros Præpositum & Capitulum dictæ Ecclesiæ Gebenensis, qui in primis Calendis post dictos decem dies proximè futuros in eorum Capitulo Generali ipsum eligere debeant, alioquin ad Reverendum in Christo Patrem pro tempore existentem Dominum Episcopum Gebenensem hujusmodi potestatis devolvatur, qui in dicta Capella Archipresbyterum nominet successorem, qui successor Capellæ regimen propriâ potestate & auctoritate possit & sibi liceat recipere requisitione cujusquam vel licentia super hoc minimè expectata interveniente vel requirenda, ita tamen intelligendo in prædictis electionibus quando fieret per devolutionem vel Episcopum, quod dictus successor sit de numero servitorum dictæ Capellæ de quibus statim post mentio habetur.

Si verò Rector dictæ Capellæ quod absit, esset dissipator bonorum dictæ Capellæ, aut furiosus vel non sanæ mentis vel alias inutilis, eo casu duo electi Consilarii seu coadjutores infra scripti bona dictæ Capellæ regant & administrant absque eo quod dicto Rectori rationem reddere teneantur, sed dumtaxat in communi sicut ipse Rector teneretur si administraret ut infra dicitur: erunt etiam servitores dictæ Capellæ de præsentibus duodecim numero ultra Archipresbyterum & duo Clericuli ad nutum seu arbitrium Archipresbyteri & sex antiquorum de dictis duodecim ponendi & mutandi, eruntque omnes prædicti servitores boni & idonei bonæ famæ, laudabilis conversationis & sufficientiores & idoneiores qui per dictum Archipresbyterum in dicta Ecclesia reperiri poterunt & continuè in ipsa Ecclesia residentes; volumus tamen quod Capellani instituti & instituendi, fundati & fundandi per quoscumque in altaribus in dicta nostra Capella consistantibus præferantur omnibus aliis; dum tamen per dictum Archipresbyterum & sex antiquiores servitores dictæ Capellæ nostræ sufficientes & idonei approbentur, ita tamen quod illi qui erunt fundati per illos de genere nostro vel familiares nostros primo admittantur, electio quoque, provisio & receptio dictorum duodecim servitorum & Clericorum ad dictum Archipresbyterum pertinebit; vocatis tamen & consentientibus ad minus sex de antiquioribus servitoribus dictæ Capellæ videlicet post decessum nostrum & non ante; quoniam electionem ac provisionem hujusmodi tam Archipresbyteri quàm prætaxatorum duodecim servitorum ad vitam nostram nobis duximus reservanda & per præsentibus reservamus ac ex nunc eligimus instituvimus, ponimus & nominamus dictæ Capellæ primum Archipresbyterum dilectum familiarem nostram Dominum Jacobum Bochari Curarum Parochialis Ecclesiæ sancti Leodegarii prope muros Gebenenses, nec non Dominos sanctæ crucis Gebenensis qui nunc est & pro tempore fuerit Hugonem Collogniex de Bardonax, Hugonem Cholopon sancti Victoris Gebenensis, Thomam Fabri de Filiaco de Bernex Richardum de Arthas sancti Ciriaco Humbertum de Ponte de Asia, Perrum de Tallueris, Joh-

ANN O  
1379.



ANNO  
1379.

Genonis de Vallerier, Nicodum de Bolo de Onay, Franciscum Davidis Seysselli, Johannem Michaëlis montis sancti Martini & Jacobum de Arcina de Villa in fallacio Presbyteros Curatos Gebenensis Diocesis eligimus, nominamus & ponimus primos duodecim Servitores exhortando eos. & eorum Successores sicut in his & majoribus de ipsis confidimus & ad hoc eos eligimus ut velint diligenter & devotè in dicta Capella & servitio ejusdem juxta ordinationem & intentionem nostram hujusmodi Domino famulari eruntque dicti servitores perpetui & continue residentes bonæ vitæ & laudabilis conversationis, & uno cedente vel decedente aut quod absit amoto suis exigentibus demeritis alius de novo subrogabitur & eligetur per nos vita comite & post decessum nostrum per dictum Archipresbyterum ut supra, casu vero quo non residerent nec dictæ Capellæ deservirent ut ordinavimus aut non essent vitæ & conversationis honestæ vel aliter forent criminosi, sic quod merito venirent removendi nisi per dictum Archipresbyterum verbo vel in scriptis & absque alia juris solemnitate, sed solum charitative, & alias sufficienter prout sibi de consilio duorum antiquorum Servitorum de prædictis tunc præsentium omni odio vel favore prætermisissis videbitur faciendum moniti non respiciant infra duos menses residendo serviendo, honestè vivendo alii loco illorum subrogentur per dictum Archipresbyterum secundum modum & formam supra de dictorum Servitorum electione traditos, illique qui sic moniti se corrigere noluerint infra dictum tempus ipso sacro sint à consortio & collegio dictæ Capellæ privati penitus & amoti, erit autem quoad præsens servitium dictæ Capellæ & onus dictorum servitorum in tribus missis qualibet die perpetuò celebrandis per eosdem una videlicet alta & cum nota seu cantu & aliæ duæ missæ bassæ in dicta Capella una cum tredecim Anniversariis singulis annis fiendis & aliis missis & suffragiis de quibus infra dicitur, deservietur enim in ipsa Capella dictum servitium missarum faciendum quanto ad præsens per dictos Servitores per septimanas, ita quod unus post alium in ordine suæ creationis in dicta Capella incipiendo ab Archipresbytero faciat suam septimanam in ordine suo per se vel per alium idoneum de dictis Servitoribus, ita quod qualibet hebdomadâ erunt tres hebdomadarii, videlicet hebdomadarius magnæ missæ quæ erit alta & cum cantu, primus hebdomadarius secundæ missæ quæ prima erit inter duas bassas, secundus & hebdomadarius tertie quæ secunda erit inter missas bassas tertius in quibus quidem hebdomadis iste servabitur ordo. Archipresbyter in prima hebdomada celebrabit magnam missam & in diebus solemnibus cum solemnitate ista videlicet quod Antiquior dictorum Servitorum qui tenebit primum locum post Archipresbyterum Evangelium pronuntiabit in dicta Missa & antiquior post illum qui tenebit secundum locum post Archipresbyterum leget Epistolam & alius antiquior post illum qui tertium locum post Archipresbyterum tenebit incipiet officium dictæ missæ, & faciet officium Cantoris, in aliis verò diebus non solemnibus canteur dicta magna missa juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ, Missas verò bassas dicta prima hebdomada celebrabunt dicti duo primi seu Antiquiores post dictum Archipresbyterum; secundam verò hebdomadam missæ altæ faciet primus post Archipresbyterum, & tertiam secundus, & sic deinceps usque ad ultimum dictorum Servitorum qui faciet hebdomadam ter-

tiam decimam, quâ finitâ reincipiet Archipresbyter, & simili ordine finietur: Sed secundam hebdomadam primæ missæ bassæ faciet Archipresbyter, & secundæ missæ secundus servitor post eum, & tertiam hebdomadam primæ missæ bassæ tertius, & secundæ quartus, & sic consequenter donec quilibet in ordine suo fecerit dictas hebdomadas, & incipiet quilibet hebdomada in die Dominico & finiet in die Sabbati.

Celebrabit autem quilibet Hebdomadarius in ordine suo dictam missam altam per modum qui sequitur, videlicet, quilibet die quâ solemnitate festivitas, vel alicujus sancti festum, vel etiam feria habens officium proprium evenierit, celebrabit de illa vel de illo, si vero proprium non habuerit officium die lunæ celebrabit de mortuis, die Martis de Angelis, die Mercurii de Trinitate, die Jovis de sancto spiritu, die Veneris de sancta Cruce, die Sabbati de Beata Maria Virgine, nisi ex justa causa & rationabili Archipresbytero consulo aliud videretur faciendum. Si autem eadem die tria propria officia concurrerint, majus dicitur in missa alta, secundum in prima bassa, & tertium in secunda bassa; Si verò duo majus in missa alta & aliud in prima bassa, & si unum dumtaxat dicitur in missa alta, & officia missarum votivarum de quibus supra dictum est dicitur in prima bassa, & eo casu secunda bassa dicitur de mortuis vel ad arbitrium celebrantis, & si fuerit feria habens officium proprium & festum alicujus sancti non habens proprium quia proprium officium dicitur in missa alta, prima missa bassa celebrabitur de festo illius sancti, & alia ad arbitrium ut supra, ita tamen faciendum quod omnia officia qualibet die compleantur in dictis missis juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ Gebenensis, sicut quippe in dictis missis Collectæ juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ, & nisi aliud impediat secunda Collecta fiet pro fundatore & ad ejus intentionem vita comite, illa videlicet; *Deus qui justificas* &c. & post ejus decessum illa *Deus qui inter Apostolicos* &c. & post illam, alia pro anima illius de dicto consortio seu numero qui illo anno decessit; *Quisumus, Domine, famulo tuo* &c. & si duo vel plures eodem anno obierint eodem modo fiat singulari numero mutato in plurali exceptis tamen diebus in quibus non debet dici nisi una collecta vel duæ, præterea in missis prædictis celebrans specialem & expressam memoriam faciet in memento suo quod de vivis primo de fundatore Patre sorore & propinquis ejus quandiu Deo concedente supervixerint consequenter de familiaribus & servitoribus nostris qui in dicta Capella, & fundatore seu augmentatione dotis divini servitii ejusdem devotionem habebunt & participes esse voluerint cum effectu; deinde de Archipresbytero qui pro tempore erit & omnibus fratribus Conventibus tunc viventibus sigillatim, generaliter verò de cæteris Benefactoribus parentibus & amicis in memento de mortuis similem ordinem observabunt videlicet primo de felicis recordationis Domino CLEMENTE Papa septimo & de fundatore quando Deo placuerit ipsum ab hac luce distrahi, & sic de aliis sigillatim juxta Ordinem dictum de vivis quando de medio sublatis fuerint & generaliter omnium Rectorum servitorum & benefactorum qui fuerint hætenus dictæ Capellæ; in fine verò dictæ Missæ faciet quilibet Hebdomadarius stationem cum aqua benedicta ut est moris ante altare dictæ Capellæ & dicitur *De profundis*, cum uno Re-

ANNO  
1379.

sponsorio



ANNO  
1379.

sponsorio defunctorum & tribus Collectis quarum una principalis erit videlicet: *Deus qui inter Apostolicos &c.* & proferetur in singulari pro remedio animæ fratris illius qui illo anno decesserit, & si plures decesserint proferatur in plurali, alia generalis pro tota congregatione fratrum & benefactorum dictæ Capellæ, videlicet, *Deus venia largitor &c.* tertia generaliter pro cunctis fidelibus defunctis videlicet; *Fidelium Deus omnium &c.* ista differentia servata in dictis missis quia post missam aliam prædicta dicentur alta voce cantando, & post duas missas bassæ voce submissa; celebrabitur quoque dicta missa alia in solis ortu, nisi in festivitibus Beate Mariæ & aliis solemnitatibus in quibus eligatur congruentior hora ad augmentationem Divini servitii, & erit supra dictam Capellam una Campana quæ pulsabitur, ad cujus pulsationem convenient dicti servitores ad dictam missam celebrandam, & tenebuntur omnes dicti servitores interesse in dicta missa & juvare ad ipsam celebrandam & intrare dum cantabitur introitus dictæ missæ vel saltem ante finitum ultimum *Kyrie-eleison*, alias deficiens careat distributione nisi sibi competenti in illa missa, & qui intraverint teneantur permanere donec sint finita etiam suffragia & stationes mortuorum quas fieri ordinavimus in fine dictæ magis missæ altæ, aliàs nihil percipient de distributionibus in dicta missa liberandis ac distribuendis de quibus infra dicitur; duæ verò missæ bassæ celebrabuntur in dicto magno altari videlicet prima ipsarum . . . dictam missam altam & secunda post vel immediate post missam altam una post aliam arbitrio celebrantium tali scilicet hora quod propter hoc non diminuatur servitium in *Choro majoris Ecclesie* & quantum fieri poterit prima circa vel prope auroram & missa auroræ nuncupetur; secunda circa horam tertiam inter primam & tertiam, & missa tertia seu tertiarum vocari poterit & cum prædicta campana signum fieri modicum pulsando ut illi qui dictas missas audire voluerint possint in eis interesse. & liberabitur cuilibet ex tredecim dictis Capellarii servitoribus dictæ Capellæ interessentibus in dictis missis altis & juvenibus ad ipsas celebrandas videlicet in qualibet ipsarum per Archipresbyterum ipsius Capellæ qui est & qui pro tempore fuerit summas infra scriptas & primo hebdomadarius qui missam altam celebrabit qualibet die hebdomadæ suæ habebit duodecim denarios Archipresbyter sex qualibet die, & ille qui Evangelium pronuntiabit & ille qui Epistolam legat, & ille qui officium Cantoris faciet quatuor denarios quando celebrabitur cum Diacono & solemnitate supra dicta, aliis autem diebus sicut alii servitores habebunt; cæteri vero dictorum servitorum qui ut præmittitur interfuerint tres denarios monetæ ponibiles in Gebenensi civitate quorum viginti solidi valeant unam libram Gebensem, alii autem duo hebdomadarii Missarum bassarum quilibet eorum ultra prædicta habebit novem denarios dictæ monetæ qualibet die durante hebdomada sua. Præterea volumus ultra præmissa ac fieri ordinamus ex nunc in perpetuum in dicta Gebenensi Ecclesia, & infra dictam capellam nostram tredecim Anniversaria seu remembrata singulis annis videlicet duodecim pro singulis mensibus anni & tertium decimum fieri post decessum nostrum die consimili obitus nostri pro remedio animæ nostræ parentum & felicitatis recordationis Domini Clementis Papæ septimi benefactorum & amico-

rum nostrorum atque alias ad nostram intentionem. Fiet autem quodlibet dictorum anniversariorum duodecim in principio cujuslibet mensis ita quod incipiet prima die mensis in vespere ipsius diei & complebitur secunda die mensis in mane si commodè fieri poterit, alioquin fiat in crastinum vel alià die sequenti immediate in qua non sit impedimentum, sed de tertio decimo anniversario intelligendum scilicet quod die præcedenti diem dicti obitus incipiat & die ipsius obitus terminetur nisi foret impedimentum quo casu die immediate sequenti, in quo non esset impedimentum; quæ quidem anniversaria seu remembrantia cum missis processionibus & aliis fiant quemadmodum fiunt & fieri consueverunt anniversaria & remembrantia Dominorum summorum Pontificum, Cardinalium Episcoporum dictæ Ecclesie & aliorum Prælatorum seu principum in dicta Ecclesia fieri solita tam in classis pulsatione campanarum, quàm aliis ceremonialibus & cæteris ibi observari consuetis; incipiet quoque officium cujuslibet ipsorum anniversariorum ut prædictum est vespere primæ diei mensis, nisi impedimentum fuerit statim & incontinenter post vespere & prout est fieri consuetum, & convenient in choro dictæ Ecclesie omnes Domini Canonici, Presbyteri, Altarienses & alii de choro & gremio dictæ Ecclesie Gebenensis qui voluerint interesse, & cantabunt solemniter vigilias & totum officium mortuorum cum Cantoribus & aliis ceremonialibus quæ fieri consueverunt in choro dictæ Ecclesie Gebenensis & remembrantiis Dominorum summorum Pontificum, Cardinalium Episcoporum & aliorum Prælatorum, & Principum hoc addito quod prima die mensis cujuslibet antequam inceptum fuerit officium mortuorum in medio chori dictæ Capellæ ante majus Altare ponetur unum feretrum seu Arca de postibus sacra & desuper pannus aureus cum armis nostris ut est moris in talibus & unum aliud ante majus Altare dictæ Ecclesie ad memoriam videntium ut videntes moveantur ad rogandum Deum pro nobis, quos qui fecerint bonorum spiritualium dictæ capellæ volumus esse participes & remaneant ibidem dicti panni cum feretris usque in crastinum post vespere & in crastinum videlicet secunda die mensis incontinenter post finitas matutinas in dicta Ecclesia Gebenensi si fieri possit, alioquin hora magis propinqua & congrua pulsabuntur campanæ juxta consuetudinem dictæ Ecclesie & ordinationem dicti Capituli, & iterum convenient omnes de Collegio dictæ Ecclesie videlicet illi qui voluerint ad dictam capellam & ibi celebrabunt unam missam de mortuis cum Diacono & Subdiacono & Cantoribus & duobus candelabris solemniter, in qua missa dicentur Oraciones *Deus qui inter Apostolicos. Deus venia largitor. & fidelium*; missa autem finita fiet ibidem processio seu statio mortuorum juxta consuetudinem ipsius Ecclesie, & secundum quod fieri solet in Anniversariis seu remembrantiis in dicta Ecclesia Gebenensi fieri solitis & dicit missam ipse Presbyter qui fuerit ver dictum Archipresbyterum ad hoc electus; finita autem dicta missa liberabitur in dicta capella cuilibet qui in dictis officiis seu vigilis & missæ mortuorum interfuerit distributiones seu librationes per modum qui sequitur videlicet cuilibet Canonico duodecim denarios, cuilibet Presbytero, sex denarios, cuilibet Clerico tres denarios, & cuilibet Clericulo duos denarios. Archipresbyter verò, & Presbyter qui celebrabit missam habebunt duodecim denarios ultra sex denarios. Diaconus verò & Subdiaconus

ANNO  
1379.



ANNO  
1379.

Cantores & Innotantes & alii qui facient in dictis officiis seu in vigiliis & missa mortuorum officia secundum consuetudinem dictae Ecclesiae Gebenensis habeant duplum, & hoc in duodecim Anniversariis in capite cuiuslibet mensis fiendis; in Anniversario vero tertio decimo quod quando fiet consimili die obitus nostri volumus distributiones duplicari praedictas, & faciet dictus Archipresbyter librationes praedictas statim post dictam missam mortuorum durante adhuc dicto officio, ita tamen quod qui intererit in missa & non fuerit in officio seu in vigiliis quae praecedenti vespere dictae fuerint, non habeat nisi medietatem dictae portionis seu distributionis quae librabitur illis qui interfuerint in vigiliis & missis. Volumus tamen & ordinamus quod illi qui non venient ad dictum officium mortuorum ante inchoationem secundi Psalmi, & in Missa infra Epistolam libra illius horae privetur & per hoc nihil innovamus quin fiat officium in dicta Capella in illa die. In aliis omnibus per nos ordinatis per servitores ipsius Capellae cum emolumento consueto ut supra dictum est, & per praesentes supplicamus Dominis Praeposito & capitulo dictae Ecclesiae Gebenensis ut praedictae ordinationi velint consentire & eam ratificare. Et quia volumus cum alterius iactura servitium divinum procurare fieri per eundem Archipresbyterum dabuntur & solventur matriculario dictae Ecclesiae vel illi ad quem onera super & infra tacta spectare consueverunt tam pro labore tactus campanarum quam aliis ad ejus officium pertinentibus pro quolibet Anniversario seu remembrantia hujusmodi quatuor solidos dictae monetae, & rectori seu operario fabricae dictae Ecclesiae totidem pro luminariibus in dictis Anniversariis & officiis faciendis manutenendis, quae tredecim Anniversaria per dictum Archipresbyterum qui pro tempore fuerit solventur de bonis dictae capellae; Verum quia fiduciam gerentes in Domino speramus augeri saltem post decessum nostrum de bonis per nos eisdem capellae in testamento nostro in quo eandem instituimus heredem universalem donatis, volumus & ordinamus quod juxta facultates fructuum & honorum dictae Capellae quae in futurum Deo annuente habebit & habere legitime poterit, & eorum augmentum augeatur divinum servitium in eadem, etiam usque ad augmentationem numeri si & quando ipsae facultates ad hoc sufficient & suppetent isto ordine servato, quod primo augeatur cultus divinus usque ad hoc quod horae Beatae Mariae completae omni tempore dicantur; & post modum quod vigiliae seu officium mortuorum videlicet matutinae vespere &c. primo diebus quibus in Ecclesia majori non cantabuntur & demum completae omni tempore; tandem vero quando placuerit altissimo quod omnes horae Canonicae ibidem perfecte cantentur sicut in majori Ecclesia voce tamen tubali, & postremo si largiente Domino in tantum augeantur facultates hujusmodi numerus servitorum etiam augeri valeat in duplum vel plus vel minus secundum ipsarum possibilitatem facultatum, volumus & ordinamus quod illi servitores qui ultra tredenarium numerum praetaxatum pro tempore ad servitium dictae Capellae eligentur assumantur, tales quod ipsa quae est matrix Ecclesia occasione dictae capellae debitis non fraudetur obsequiis & magis idonei qui reperiri poterint in se de Civitate & Diocesi Gebenensi, inter quos illi de mandato & loco & Decanatu Anniffiaci atque etiam

Comitatus Gebenensis caeteris partibus aliis praeferrantur, exceptis supra dictis, & quo ad alia omnia quantum fieri poterit casu quo ampliabitur dictum Collegium ut dictum est in dicta Capella conformetur, Collegio nupar factu in Ecclesia Beatae Mariae laetae Anniffiaci & sicut quemadmodum in dicta Ecclesia Beatae Mariae laetae factum est & est fieri consuetum, & insuper Nos Joannes Episcopus Cardinalis & fundador praefatus, desiderantes divinum officium in ea perpetuo indeficenter continuari & Deo favente semper augeri damus ex nunc & concedimus magis per praesentes donatione pura, mera, & irrevocabili quae dicitur inter vivos pro fundatione & dotatione dictae Capellae seu fundationis & dotis praedictorum augmentatione specialiter & expresse omnia & singula bona nostra mobilia & immobilia ubicumque existentia & nobis pertinentia retento nobis dumtaxat in honorum ad vitam nostram usufructu, quae donatio suam fortiaur effectum post mortem nostram & non antea; & quia dicta Capella bono indiget dispensatore bonoque regimine, volumus & ordinamus quod Archipresbyter qui pro tempore fuerit computet & computare ac reddere computum & rationem teneatur anno quolibet infra unum mensem, anno elapso sine defectu praesentibus sex Antiquioribus dictae Capellae habitu respectu in hoc & in omnibus aliis praemissis ad tempus quo dictae Capellae servierunt, non autem ad eorum aetates, & poterunt si voluerint alii servitores interesse; & ipsa die eligentur duo coadjutores de quibus post dicitur, & casu quolibet dictus Archipresbyter non computaret & rationem non redderet legitimam de bonis gestis & administratis dictae capellae in dictis diebus assignatis, perdat pro prima die unum grossum, pro secunda die duos grossos, pro tertia tres grossos, pro quarta quatuor grossos & sic multiplicando usque ad omnia emolumenta quae in dicta capella habere posset & deberet & ultra si post ea per dimidium annum sustinuerit sit ipso facto a dicto regimine & fraternitate & omni emolumento Capellae praedictae omnino privatus, & dicti servitores aut major aut sanior pars eorumdem in hoc casu de Archipresbytero sibi providere possint & valeant auctoritate sua propria, & quia qui sentit onus commodum sentire debet, nullusque suis propriis militare teneatur stipendiis, & ut attentius & melius circa negotia & regimen dictae Capellae intendat Archipresbyter saepe dictus decem florenos communis ponderis de fructibus dictae Capellae ultra alia emolumenta supra dicta quae ut ibi recipiet cum suam septimanata faciet & aliis librationibus & obventionibus communibus supra dictis & aliis quae Deo concedente augebuntur habebit, & quia ea quae cum consilio sunt majori innituntur firmitati & sanius disponuntur, nec esset facile omnes servitores pro singulis negotiis consultare, volumus quod anno quolibet post computum redditum supra dictum incontinenter concluso computo eligantur per Archipresbyterum & alios servitores vel majorem & saniozem partem eorum duo ex dictis Servitoribus aptiores qui teneantur dictum Rectorem juvare & consulere ac regimen dictae Capellae & ejus prosecutionem negotiorum ipsius Capellae sumptibus & expensis qui electi jurent praedicta facere bene & fideliter & legitime, excusatione quacumque non legitima cessante. Verum quia ubi charitas non est, caetera bona non efficiunt, rogamus & volumus quod verus amor & fraternitas dilectio sit inter dictos fratres & socios, &

ANNO  
1379.

si quod



ANN O  
1379.

si quod absit totius boni æmulus inter ipsos Zizaniam seminaret; dictus Archipresbyter una cum dictis duobus electis ipsos ad concordiam possit & valeat redigere & quod eis videbitur super ipsa discordia ordinare, quorum ordinationi teneantur obtemperare sub fide & juramento infra præstandis, & quoniam vera fraternitas Charitasque fratrem non debet relinquere in adversitate desolatam, volumus & ordinamus quod casu quo aliquis dictorum Servitorum quod absit ad inopiam aut infirmitatem aliamque quamcumque miseriam deveniret, dictus Rector cum electis prædictis teneatur ipsum visitare & consolari, & pro posse juvare & curam de persona & bonis suis habere tanquam fratris hujusmodique infirmitate durante, si talis sit quod præsens esse non possit in emolumentis dictæ Capellæ percipiat tanquam præsens; quoniam verò dicta Capellæ vestimentis indiget & aliis ornamentis ad divinum cultum laudabiliter peragendum ibidem damus & concedimus per præsentem dictæ Capellæ arque realiter tradimus incontinenter Archipresbytero prælibato crucem & calices duos argenteos missale & tres casulas unam albam & viridem & nigram cum tunicellis, dalmaticis, albis & veniet amictibus paratis juxta colorem dictarum casularum & alia necessaria pro servitio magni altaris & duos pannos aureos ad ponendum super feretris de quibus supra mentio habetur pro incipiendo ibidem Divinum servitium Deo annuente ampliandum, & quando eis tradetur realiter fiat inventarium ut infra dicitur & tam de prædictis quam de aliis emolumentis dictæ Capellæ providebit Archipresbyter prædictus ipsi Capellæ in vestimentis luminaribus & aliis omnibus necessariis juxta ipsius Capellæ facultates & quod superfluerit in utilitatem & augmentum ipsius Capellæ convertere fideliter & discretè de Consilio sanioris partis dictorum servitorum vel saltem duorum sibi coadjutorum electorum de quibus supra dictum est quippe attestante Poeta non minor est virtus quam quarere parati tueri, volumus & ordinamus quod in dicta Capella in armarijs seu Archivij muro factis in ascensu superiori prout Archipresbytero & Servitoribus videbitur faciendum omnes litteræ instrumenta teretria & cætera documenta pro dicta Capella facientia reponantur conservanda, in quarum qualibet erunt tres claves quarum Archipresbyter unam, & coadjutores electi aliam, & Antiquior prædictorum Servitorum tertiam habebunt, & quod quando aliquod instrumentum seu documentum ab eadem Archa extrahetur, jurabunt quod illud in eadem reportabunt infra tempus quod in recipiendo rationabiliter ordinabunt, simili modo de pecuniis dictæ Capellæ volumus quod in aliquo dictorum Archiviorum sub tribus clavibus custodiantur, exceptis illis quæ pro librationibus communibus fiendis expendenda fuerint, ut supra ordinatum est, quas Archipresbyter penes se custodire poterit in uno armariolo in dicta Capella, cujus soles clavem habebit, erunt & alia armaria pro vestimentis & ornamentis servandis quorum etiam regimen habebit Archipresbyter sæpessatus. Postremo tam Archipresbyter quam Servitores qui pro tempore fuerint in dicto numero & servitio eligendi & ponendi, in sua nova electione seu creatione jurare teneantur; & jurabunt per juramenta sua ad sancta Dei Evangelia propriis manibus tacta, omnia & singula præmissa cum effectu adimplere ipsa inviolabiliter observare, nec quovis modo contraire vel venire, aut contraire volenti aequaliter consentire. Antequam Archipresbyter

ipse ad regimen & cæteri Servitores ad servitium dictæ Capellæ & consortium aliorum admittantur; reservantes nobis & executoribus nostris & per nos super hoc eligendi potestatem & facultatem liberam de & super præmissis omnibus augendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi prout melius videbitur faciendum, salva tamen semper dote & augmento ipsius quæ nullis unquam volumus diminui temporibus, sed Domino propitio augeri continè peroptamus; de quibus omnibus & singulis supra dictis volumus nobis fieri publicum instrumentum & publica instrumenta per nos Notarios publicos infra scriptos conficienda, reficienda, semel & pluries ad dictamen & consilium cuiuslibet in jure periti, facti tamen substantia in aliquo non mutata acta & publicata fuerunt. Hæc Saone in Domo habitationis nostræ, anno, indictione, die mense & Pontificatu quibus supra. Præsentibus Venerabilibus & discretis viris Dominis Archambalis de valle Canonico Pictaviensi Camerario, Johanne Juliani de Avignone Elemosinario Presbyteris: Guillelmo Patrifari scutifero Aymoneto de Gerdili, & Johanne de Ponte alias Vacherii cubiculari nostris Gebenenfis Diocesis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et me Petro Fabri de Filiaco Clerico Gebenenfis Diocesis, publico Apostolicæ & Imperiali auctoritatibus notario, qui præmissis omnibus & singulis dum sic ut præmittitur per dictum Dominum Episcopum Cardinalem fierent & agerentur una cum discreto viro Magistro Vualthero de Villa Clerico Gebenenfis Diocesis etiam publico Apostolicæ & Imperiali auctoritatibus notario, infra scripta & testibus supra scriptis præsens in testimonium sui eaque sic fieri vidi & audivi ac in notam recepi, ideoque huic præsentibus publico instrumento per alium fideliter scripto me hic scribendo signum meum apposui consuetum in testimonium præmissorum.

Et me Vualthero de villa Clerico Gebenenfis Diocesis publico Apostolica & Imperiali auctoritatibus notario, qui præmissis omnibus & singulis dum sic ut præmittitur fierent & agerentur per prædictum Dominum Episcopum Cardinalem & Vicecancellarium unà cum venerabili viro Magistro Petro Fabri Clerico Gebenenfis Diocesis eisdem auctoritatibus publico notario, supra scripto & testibus prænominais præsens sui, eaque sic fieri vidi & audivi ac in notam recepi. Ideoque huic præsentibus publico instrumento per alium fideliter scripto, signum meum apposui consuetum, in testimonium præmissorum requisitus & rogatus.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios faciatis, auctoritate nostrâ, ordinationes & alia contenta in dicto instrumento ut præfertur inviolabiliter observari, contradictores auctoritate nostra, appellatione postpositâ compescendo, non obstante si venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Capitulo Gebenenfis, & Archipresbytero, & Presbyteris aliis præfatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim à sede Apostolicâ sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Massiliæ apud Sanctum Victorem Nenis Decembris Pontificatus nostri anno tertio decimo.

MARTINUS

ANN O  
1379.



ANNO  
1426.

## IV. MARTINUS V.

Ex Op. Di-  
plom. Miraei  
Tom. 1. pag  
223.Erectio Universitatis in oppido Lovanienfi  
ad preces Joannis IV. Brabantiae Ducis,  
anno 1426.

## MARTINUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei ad perpetuam rei  
memoriam.*

**S**apientia immarcescibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus, omnem habens vigorem, & virtutis Altissimi dispensator, omniumque Christum clarior, ipse Dominus ad hoc suae miserationis dignatus, nobis licet immeritis sponse suae universalis Ecclesiae regimen piâ dispensatione commisit, & nostrae debilitatis oculo jugum imposuit Apostolicae servitutis, ut in Petri specula positi tamquam de supremo vertice ad infima mundi, protoplastique posteris, qui non nativitate deponunt fructus, sed intelligentia spiritu, eandem, unius initium verissima est disciplinae concupiscentia, perstringendi sapientiam, divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandum mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxae, quid statui conveniat fidelium quorumlibet, prospiciamus attentius, & qualiter à fidelibus ipsis profugatis ignorantiae tenebris, illi post supereminentissimam summi Opificis notionem, per ejusdem sapientiae donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes eò ad querendum ipsius sapientiae alimenta litterarum studia, per quae divini nominis, & ejusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiae Respublica, in spiritualibus, & temporalibus cum animarum salute geritur, pax & tranquillitas ubilibet solidantur, omnisque conditionis humanae dilatatur prosperitas, nostrae provisionis, sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitentur.

Sane pro parte dilectorum filiorum, nobilis Viri Joannis Ducis Brabantiae, ac Praepositi, Decani, Scholastici, & Capituli Ecclesiae S. Petri, nec non Burgi-Magistrorum, Scabinorum, & Communitatis Oppidi Lovanienfis, Leodiensis Diocesis, nobis nuper exhibita petitio continebat.

Quod licet in Ducatu Brabantiae & in aliis Dominiis ipsius Ducis, nec non etiam in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi, & Tornacensi Diocesis, ceterisque ibidem circumvicinis partibus, & Dominiis, multa famosa, & insignia loca populo Christiano, & rerum copia admodum opulenta existant, nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem Generale vigeat studium litterarum. Unde partium illarum plerique commodo, & usu studii carentes, vel hujusmodi litterarum impericia subjacent, vel in remotis partibus degere habent, scientiae hujusmodi in eis sectantes incrementum.

Verum oppidum praefatum, quod de temporali Dominio ipsius Ducis existit, ad eò rerum copia, aeris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum, & aliarum rerum necessariorum commoditate per

ANNO  
1426.

Dei gratiam est refertum, quod ad hujusmodi receptandum, confovendumque studium, aptum plurimum, & idoneum existeret perhibetur.

Quapropter ipsi, Dux, Praepositus, Decanus, Scholasticus, Capitulum, Burgi-Magistri, Scabini, & Communitas C. confiderantes attentius, quod inter caetera virtutum opera, quae tamquam accepta Summo rerum auctori sacrificia, quae per manus offeruntur humanas, illa divina Majestati grata plurimum nullatenus ambiguntur, per quae ad suscipiendum singulare virtutum diadema illis, qui scientiarum earumdem sicut acquirere margaritam, opportunitis remediis, & auxiliis commodis subventionis praesidium efficaciter impertitur, Generale litterarum studium in eodem Oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinae, atque sapientiae se studiis exercentes, sibi & aliis meliores effici valeant, & partium illarum prosperitatis auctore Domino facilius incrementum sequatur.

Et nihilominus Dux ipse, una cum Burgi-Magistris, Scabinis, & Communitate hujusmodi domos aptas, & loca convenientia illic cum scannis, & aliis necessariis Officiis pro Magistris, Doctoribus, & Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus, & audientibus deputare, nec non eisdem Magistris, & Doctoribus legentibus de salario competentis annis singulis, vel aliis de beneficiis Ecclesiasticis providere.

Nec non quod Rector Universitatis studii hujusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis ejusdem, & illorum servientes tam in Civilibus, quam in criminalibus, & aliis quibuslibet causis, negotiis, & excessibus, sine impedimentis quibusvis jurisdictionem, coercitionem, & emendationem dictis Duci, Praeposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-Magistris, Scabinis, & Communitati, commuiter, vel diversim in eodem oppido quomodolibet competentes, exercere valeat, concedere, & jurisdictionem, coercitionem, & correctionem hujusmodi à se penitus abdicare, & in Rectorem ipsum plenarie transferre.

Singulis quoque Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, causa studii ad dictum oppidum accedentibus, vel de illo recedentibus pro tempore quaecumque sua, res, & bona secum asportandi, & ea pro suae voluntatis libito deportandi, sive ibidem vendendi libertatem tribuere intendunt pariter, & proponunt.

Quare pro parte dictorum Ducis, Praepositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgi-Magistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderantium etiam, quod Magistri, Doctores, & Scholares supra dicti pro potiori dicti studii incremento condignis privilegiis se communitos sentiant, quibuslibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus aliorum generalium studiorum quantum in ipsis, Duce, Praeposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-Magistris, Scabinis & Communitate, & aliis ipsius Ducis subditis fuerit, gaudeant, & utantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto oppido Generale litterarum studium in qualibet licita facultate erigere, & ordinate de benignitate Apostolica dignaremur.



ANNO  
1431.

Nos igitur, qui relatione fida, post informationem diligentem super habilitate loci, & aliis circumstantiis præmissis de mandato nostro receptam, oppidum ipsum æris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariorum ubertate referunt, & aliàs pro hujusmodi Studio locum aptum didicimus, pium, meritoriumque eorundem Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgimagistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem, & gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate percipui, virtutum, & dogmatum ornatibus redimuti, succedat, plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica præsentium serie statuimus, & etiam ordinamus: Quod à modo in dicto oppido generale in Facultate qualibet, præterquam in Theologia, sit Studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat, & observetur: Quodque omnes, & singuli Doctores, Magistri & Scholares inibi omnibus, & singulis libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibusvis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, Coloniae, Wienæ, ac Lipsienfis, Patavienfis, & Merseburgensis Diocesium Oppidis studii causâ commorantibus per Sedem Apostolicam, vel aliàs qualitercumque concessis, gaudeant pariter, & utantur.

Singuli verò, qui cursu feliciter consummato in ea Facultate, quâ hujusmodi inhæere studio, bravium obtinere meruerint, sibi que etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratus, sive Magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores, sive Magistros Præposito, (quem Cancellarium Studii in oppido hujusmodi esse perpetuò volumus) si illic præfens fuerit, alioquin Decano dictæ Ecclesiæ pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis præsententur, ut ab illis, si servatis consuetudine, & modis, super talibus indictis Studiis generalibus observari solitis, ad hoc extiterint idonei, sufficientesque reperti, licentiam, & honorem fortiantur; eò reportent antedictos, & quam primum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine, & approbatione in ipsa facultate, quam licentiam & honorem attigerint, in eisdem legere, & docere liberè & licitè ubique possint, & valeant.

Rursus quoque omnium, & singulorum causarum, & negotiorum cognitio, atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholariorum, membrorum, atque servitorum eorundem, sive Clerici, sive Laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus, & excessibus, correctis & punitis, atque omnimoda super illis jurisdictione ad Rectorem Studii in eodem oppido C. quem dictum Scholasticum per primum quinquennium esse, & ex tunc annis singulis inibi iuxta consuetudinem Studiorum hujusmodi eligi volumus, & non ad Ducem, seu ejus Successores, Duces Brabantiae, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgimagistros, Scabinos, & Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve Officiales pertinere omnimodè dignoscantur, Præfateque Duci, Successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, Communicati, & Officialibus, & aliis quibuscumque de causis, & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra, & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, & excessibus eisdem quomodo liber corrigendi, vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem, vel jurisdictionem exercendi, facultate, & auctoritate penitus interdicitis;

non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod nisi infra annum à data præsentium computandum, Dux, & Præpositus, Decanus, Scholasticus, & Capitulum, ac Burgimagistri, Scabini, & Communitas supra dicti, prout eos communiter vel divisim contingere censeatur, privilegia, & libertates conceperint, ac jurisdictionem à se abdicaverint, & eam in Rectorem, ac Universitatem prædictos transfulerint, antedicta realiter, & cum effectu, præsentis literæ, & quæcumque inde sequuta, nullius existant roboris vel momenti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos 7. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno nono.

## EUGENIUS QUARTUS, PONTIFEX CCXI.

ANNO DOMINI MCDXXXI.

**E**ugenius Venetus, nomine Gabriel Gondolmerius anno 1431. Quo tempore Basileæ Concilium indictum erat. Hinc variæ turbæ exortæ; Quare Pontifex Eugenius à Concilio condemnatus, & depositus est. Surrogato Felice V. unde Schisma acerrimum. Tandem Eugenius obiit anno 1447. (*Magni Bullarum Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. 1. Fol. 319. App.*)

Ad Archiepiscopum Cantuariensem, quâ eum ad Concilium Bononiæ habendum invitat: anno 1431.

## EUGENIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Cantuariensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**Q**uoniam ex multorum relatione sentimus murmurare nonnullos audita dissolutione Concilii, si quod esse congregatum videbatur in civitate Basiliensi, opinantes forsitan nos subterfugere velle Concilium, quod semper fieri optavimus & optamus, Nos Fratritatem tuam avitam facimus per præsentem, quod illam fecimus cum maturo Consilio & deliberatione iustis ex causis in litteris nostris expressis, quæ non fuerunt confictæ, ut aliqui gatriunt, sed verè efficaces; Fuerunt etiam, & sunt aliæ causæ, quas nolumus specificè exprimere, quia manifestari non poterant sine quorundam Principum nota. Sed si omnes aliæ causæ defuissent, una potissimum fuit per se omnibus nota, infirma scilicet nostri corporis valetudo.

Nos enim, qui in minoribus constituti in Constantiensi Consilio reformari Ecclesiam cupiebamus; jam in Pontificatu nostro desiderium illud nostrum perficere, & in tam pio opere laborare personaliter plurimum affectamus. Ideo Concilium indiximus in civitate Bononiensi. Neque enim cum

ANNO  
1431.

I.  
Ex Arch.  
Reipubl.  
Genev.